

*37. Instrumentum venditionis di
Gerardo de Madio di Potenza
in favore di Bariona de Madio*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*37. Instrumentum venditionis di
Gerardo de Madio di Potenza
in favore di Bariona de Madio*

1333-03-14

(c. 311r) In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno ab incarnatione eius millesimo tricentesimo trigesimo tertio, regnante serenissimo domino domino nostro Roberto Dei gratia Hierusalem, Sicilie rege, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum vero eius anno vicesimo quarto feliciter amen, die quartodecimo mensis martii, prime inditionis, apud civitatem Potentie.

Nos Matheus de Madio ditte civitatis Potentie annalis iudex, Nicolaus de Gaudiano de eadem civitate, publicus ubilibet per provincias Principatus citra serras Montorii, Basilicate et Terre Bari regia autoritate notarius et subscripti testes de civitate preditta ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico declaramus, notumfacimus et testamur atque fatemur quod constitutis in nostri presentia viro nobili Girardo de Madio de preditta civitate Potentie, ex parte una, ac viro nobili Barione de Madio filio condam domini Nicolai de Madio, de civitate Potentie prelibata, ex parte altera, dittus nobilis Gerardus in nostri presentia a presenti bona sua libera et spontanea voluntate alienavit, vendidit, dedit et tradidit prefato Barione presenti, ementi, volenti et recipienti pro se suisque heredibus in perpetuum, terram unam sitam in tenimento ipsius civitatis Potentie, in contrata que dicitur Vallonus Pomarii, cuius hos dixit esse fines: ab una parte tenet abbas Franciscus de Lacupensili limite mediante, ab alia parte tenet Tomasius Merescalcus et ab alia parte tenent Nicolaus Carrachia magnus et ecclesia Sante Trinitatis de Potentia mediante vallone et si qui alii sunt confines, una cum omnibus ibi habitis et cum viis suis ibidem intrandi, exeundi atque cum omnibus aliis universis

iuribus, rationibus, iustitiis, accesionibus, egressionibus et pertinentiis suis omnibus, cunctam et integram, ut est dittum; ipsumque Barionam exinde // (c. 312r) emptorem in veram, corporalem et vacuum possessionem ditte terre legitime induxit ad plenum dominium proprietatis et possessionis et exinde usufructus ditti emptoris et heredum suorum inperpetuum ad habendum, tenendum, possidendum, utifruendum, alienandum, vendendum, donandum, permutandum et faciendum exinde omnia que sibi vel eis facere placuerit quibuscumque modis, nihil ditto venditori vel eius heredibus seu alii cuilibet aliquatenus exinde reservato; pro qua quidem eius alienatione, venditione, datione et traditione ditte terre predittus Girardus venditor presentialiter et manualiter recepit et habuit coram nobis a prefato Bariona emptore, nomine infiniti <sic> et determinati pretii ditto venditori per eundem emptorem comuni voluntate conventi pro venditione ditte terre [in] carlenis argenti bonis, electis et approbatis, sexaginta ipsorum per unciam computatis, unciam unam ponderis generalis, auri sic stetit atque legitime convenit inter eos, renuntians nihilominus expresse et scienter dittus Girardus venditor in nostra presentia super hiis omnibus, pro cautela ditti Barione emptoris et heredum suorum inperpetuum, legi [rem] maioris pretii posite, Codice de rescindenda venditione, exceptioni doli, vis, metus, colludii prevaticationis et in fattum, conditioni indebite et sine causa, rei premissio modo non geste et omnibus // (c. 312v) <exceptionibus> iuris et fatti, omnique iuri civili et canonico, longobardo, constitutionario, consuetudinario ac quibuscumque moribus introducto et omni legum auxilio quibus suffragantibus predittus Girardus vel eius heredes contra prenominatum Barionam emptorem seu

heredes eius, in iudicio vel extra iudicium, per se vel alteri <sic> seu alios ipsius Girardi vel eius heredum nomine contra preditta vel aliquod predittorum, de iure vel de facto exinde venire possent seu posset vel ea omnia et eorum singula seu predittam suam alienationem, venditionem, dationem et traditionem in totum vel in parte infringere vel aliquatenus irritare, certioratus prius dittus venditor per me predittum iudicem de beneficio et effettu predittorum iurium singulariter et expresse; promittens et obligans se prefatus Girardus venditor et eius heredes ac bona eius omnia habita et habenda per guadium et stipulationem solemnem iam ditto Barione emptori presenti pro se suisque heredibus, sub pena unciarum auri quatuor, medietate ipsius pene prefato Barione et suis heredibus persolvenda et reliqua medietate regie seu reginali curie, preditto Bariona pro se suisque heredibus et me preditto notario pro ditte curie <parte> penam ipsam ab eodem venditore solemniter et legitime // (c. 313r) stipulantibus; contra predittam eius alienationem, venditionem, traditionem et dationem seu contra preditta omnia vel aliquod predittorum, in iudicio vel extra iudicium, per se, alios seu alium ipsius Girardi vel eius heredum nomine, de iure vel de facto, ullo umquam tempore aliquatenus non venire, sed a modo semper ipse Girardus et eius heredes taciti et quieti semper exinde permanentur preditto Barione et suis heredibus inperpetuum et tacitos et quietos facere et exinde <esse et> permanere omnes homines et partes qui pro parte vel dato ipsius Girardi vel eius heredum preditto Barione vel suis heredibus molestiam seu causationem aliquam exinde inferre quesierint quibuscumque modis ac terram predittam idem venditor et eorum heredes prefato Barione et

suis heredibus defendent et antestabunt, discalumniabunt et ab omnibus hominibus omnibusque partibus contra venditionem predittam forsitan venire tentamptibus; et ad maiorem cautelam et securitatem ditti Barione et heredum suorum, pro predittis omnibus attendendis et inviolabiliter observandis et contra exinde non veniendo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de fatto, supradictus Girardus in nostra presentia eidem Barione corporale prestitit ad santa Dei evangelia // (c. 313v) iuramentum. Que quidem omnia qualiter in nostra presentia atta et gesta sunt ad futuram rei memoria et < tam ad > preces ditti Girardi exinde venditoris quam ad cautelam perpetuam ditti Barione exinde emptoris et heredum suorum perpetuam, nos preditti iudex, notarius et testes subscripti < in > presens publicum venditionis instrumentum, scriptum per manus mei preditti notarii et signo meo signatum ac mei preditti iudicis et preditorum testium subscriptorum subscriptionibus et signis crucis roboratum.

1

2

3

Quod scripsi ego prefatus Nicolaus de Gaudiano de Potentia, publicus ubilibet per provincias Principatus citra serras Montorii, Basilicate et Terre Bari regia autoritate notarius qui premissis rogatus interfui meoque solito signo signavi. † Ego Matheus de Madio civitatis Potentie iudexqui supra † Ego Nicolaus de Madio testis

A q(uonia)m

A permaneunt

A contradictioni

interfui † Ego Ogonus de Garresia interfui Ego Matheus
Pisulli testis interfui

4